

ris erit & istud omnibus prædestinatis concessum: *nos in-*
mutabimur: at Conceptio sine culpa originali nulli homi-
num fuit concessa, nec ulli concedetur; cum sit propria
Christi Salvatoris nostri ex Spiritu Sancto concepti: ergo si
pro Mysteriis Nativitatis, & Assumptionis, esto antecellant in
antiquitate, & in fundamentis Mysterium Conceptionis, non
fuit necessaria definitio ex Cathedra, nec etiam erit pro isto.

XIV. Posset reponi, necessariam non fuisse definitionem
pro illis Mysteriis, quia de illis numquam dubitatum fuit,
& Fideles illa semper venerati sunt.

Præscindendo, an de hisce Mysteriis aliquando fuerit
dubitatum, & præcipue de principaliori, quod est, illud
Assumptionis Virginis in corpore, & anima, de quo vi-
deri poterunt auctores tractantes de Festis, & describentes
vitas Sanctorum: ex instantia, quæ nobis objicitur, erimus
forte argumentum pro validitate nostræ assertionis.

Quando dubitatum fuit de Conceptionis Mysterio, &
doctores digladiabantur ad invicem pro alterutra parte non
sine gravi Fidelium scandalo, & jactura charitatis, & pacis
Christianæ; Pontifices omnes, qui per varias Constitutio-
nes conati sunt tanto malo occurrere, numquam definitio-
ni dederunt manus. Prohibuerunt utriusque parti, ne pro-
bris, injuriis, & censuris se gravarent ad invicem; sanxe-
runt non esse disputandum publice coram populo, & vul-
gari sermone; vetuerunt etiam loqui de illo in privatis collo-
quii; numquam tamen ad decisionem pro una, vel altera
parte venerunt. Immo Alexander VII. in sua Constitutione,
quæ pro Immaculata Conceptione est cæteris favorabilior,
expresse declarat, Mysterium nondum fuisse a Sede Apostoli-
ca decisum, & se per suam Constitutionem nolle, nec inten-
dere decidere: si ergo dum dubitabatur de Mysterio, & in
fervore disputationum Pontifices censuerunt, non esse ne-
cessariam definitionem, quare hodie dicenda est necessaria?

XV. Quis dicet, Sedem Apostolicam tunc ferventibus
disputationibus prudenti consilio non definitisse, ne ma-
jora scanda inter suos orirentur; modo vero, quia omnia